



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

De defensionibus. reorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

propterea in priori casu tres, quatuor, vel quinque dixit sufficere, quoniam præter testes, accesserat reorum confessio, hic vero idem non videntur sufficere, quia in sua negatiua perseverat. Sed hoc non videtur verum, tum quia in priori casu per disunctionem loquitur, & solam confessionem sufficere indicat: tum quia siue confiteatur reus, siue neget, per tres legitimos testes (vt cum Eymérico nunc loquar) potest condemnari.

Verum his nõ obstantibus sequentia apertissime indicant, ideo auctore nõ dicere quatuor, vel quinque non sufficere, quia reus stat in negatiua, & propterea videntur pauci: quare vt fortius conuincatur, & penitus confundatur, ita ut negare non valeat, tutius est plures testes examinare. Et hæc proculdubio fuit mens & insitutum EymERICI hoc loco. Sed tamen ut dicam infra super q. 71. etiam hoc casu sufficiunt duo, qui sunt omni exceptione maiores. hæc tamen postulat auctor, ut securius procedatur cū reus est negatiuus, tunc enim nec facile nec precipitanter est ad cõdemnationem procedendum.

De defensionibus reorum :

SECVNDVM quod prorogat, & dilatat Inquisitoris iudicium, sententiam, & processum, est defensionum concessio: & hæc interdum est superflua, interdum necessaria. Quando enim delatus, siue sit testibus conuictus, siue non, confitetur crimen, de quo delatus existit, & prout testes deponunt, tunc cõcedere sibi defensiones ad dicendum contra testes superfluum est: quia magis statim tunc suo dicto, & eius propria confessione, quam testium depositione. Quando vero crimen diffitetur, & sunt testes contra eum, & petit defensiones sibi concedi, siue præsumatur de delati innocentia, siue de eius pertinacia, impenitentia, & malitia, ad se defendendum admittendus est, ac defensiones iuris sunt ei concedendæ, & nullatenus denegandæ. Et sic conceduntur sibi aduocatus, probus tamen, & de legalitate non suspectus, vir vtriusque iuris peritus, & fidei zelator: & procurator a pariforma, ac processus totius copia, si pressis tamen testium, & deponentium, ac accusantium nominibus, vbi Inquisitor in conscientia sua videat eisdem graue periculum imminere, si ipsorum nomina prodarentur propter potentiam delatorum. Vbi autem non videatur tale periculum imminere, si ipsorum nomina prodarentur propter potentiam delatorum, sunt huiusmodi nomina delato in prædicta copia exprimenda, iuxta c. Statuta. de hæret. li. 6.

De aduocato
& procuratore
re reus concedendo.

vide fol. 629

Intelligas hic potentiam delatorum nõ tantum potentiam generis, sed & potentiam pecunie, vel malitiæ. Grauius enim periculum immineret testibus, si eorum nomina prodarentur delato homini non generoso, sed alias malitioso, & facile gis, & peruersis hominibus associato, qui nihil habet perdere, quam homini potenti genere, vel militi, diuiti, seu mercatori locupleti, qui habet quod perdat, & nõ vult seipsum perdere: & hæc experientia docet Inquisitores quotidie euidenter.

A Quare quando conceduntur testium nomina publicari, multum est delati conditio attendenda, an scilicet sit malitiosus, vel simplex, pauper, vel diues, habens societatem hominum peruerforum, vel proborum, & similia.

Nec putet delatus de hæresi testes a iudicio in causa fidei faciliter repellendos: nam a ferendo testimonio in causa eadem nõ repellit legitime quemquam, nisi sola inimicitia capitalis. Nã in fauorem fidei, infames, conscij criminis ac particeps, nec non & excommunicati, & quibuscūque alijs criminibus irretiti, in defectum præsertim aliarum probationum, ad testificandum in causa fidei admittuntur, iuxta c. in fidei fauorem, de hæret. li. 6. Immo etiam & periuri, iuxta cap. Accusatus. §. licet periuri. de hæret. li. 6.

C Repellit igitur sola inimicitia, non quæcunque, sed capitalis: vt pote, vel quia mors inter eos est de facto illata, vel fuit intentata, seu ea quæ sunt ad mortem inductiua atque via, vel vulnere graui, & lethalia sunt secuta, & similia (vt videbitur infra) quæ animi peruersitatem, & malignitatem pergentis contra passum indicat manifeste; propter quod præsumitur, quod sicut intentaui contra istum mortem corporalem per illi modum, scilicet vulnerando, intenteret & per istum scilicet erimen hæresis imponendo; & sicut voluit ei auferre vitam, vellet auferre & famam: quare tales inimici capitales a testimonio legitime repelluntur.

Alia autem inimicitia, præsertim graues, etiam non repellunt totaliter, tamquam dictum eorum debilitant aequaliter, vt non sit plena fides eorum in attestationibus adhibenda: sed cum alijs admaniculis, & aliorum testium dictis, possunt plenam facere probationem. Sane quando ipsi delato deponentium, seu testificantium nomina publicantur, & ille allegat contra eos causas inimicitia capitalis, producendo ad hoc testes, in illo casu, an dicti deponentes & testificantes probentur legitime inimici capitales, & per consequens a testificando merito repellendi necne, satis ex meritis processus potest patere Inquisitori, iudici in hoc casu, & procedere dicecælanus & ipse ad sententiam sicco pede. Sed quando delato, deponentium, seu testificantium nomina supprimuntur, nec ipse potest se ab eis defendere in specie, sed solum in genere palpitando, cum non valeat diuinare: in isto casu multum interest Inquisitoris, vt modum congruum teneat, per quem eidem innocens, an dicti deponentes & testes sine ipsius delati inimici capitales, nec ne, vt sine vilo errore dicecælanus & Inquisitor possint ad sententiam procedere, vt insones nõ cõdenent, nec reos iustitiet. sed tam istis, quã illis iustitiam administrent.

COMMENT. XXVIII.

a Q Vando enim delatus, & cert. confitetur crimen, & cert. tunc concedere sibi defensiones, &c. superfluum est. Etenim qui confitetur crimen, protinus obijcit illud. Luca cap. 19. Ex ore tuo te iudico. nec vlla clarior, aut eff-

etior probatio potest inueniri, quam reorū confes-
sio, vt optime docet Romanus consi. 329. incipien.
Præfens consultatio in hanc. n. 11. & Alexander
li. 1. consi. 12. incipien. Ex his quæ in themate. &
Felynus in cap. 1. de exceptio. & in c. cum super. de
re iudicata, optime dicebat probationem, quæ fit p
propriam confessionem, fortiores esse ea quæ fit per
testes, & rem notoriam facere. & Baldus in au-
then. sed nouo iure. c. si certum peta. dicebat non es-
se exigendam solemnitatem probatoriam; vbi adest
confessio partis.

Et quamquam in alijs delictis sola confessio de-
ficientis non sufficiat nisi de crimine, hoc est, ver-
bi gratia, de corpore interfecto constat, l. 1. §. item
illud. ff. ad Senatuse. Syllamiam. vbi Bart. & Bal. in
amb. sed nouo iure, c. de seruis fugit. & Angelus
in l. 1. c. de confess. in crim. ne hæresis, ex sola reo-
rum confessione ad condemnationem procedi potest
quia cum hæresis crimen mente concipiatur, &
in animo lateat, plerumque non potest aliter proba-
ri, quam per propriam confessionem reorum. Bald.
in l. si quis non dicam rapere. c. de episcopis, & cle-
ri. quem sequuntur Felynus in c. auditis, de preser.
& Nicolaus Arelatanus trall. de hæres. notabili
2. & Franciscus Põzimbius de lamijs, n. 52. et 70.

Ex his ergo apparet veram esse doctrinam E-
merici hoc loco, videlicet, superfluum esse concedere
defensiones reo ad dicendum contra testes, quoties
de delicto constat per propriam confessionem: &
hanc Emerici locum inuenies etiam apud Vmber-
tum Locatum in opere iudiciali verbo, defensiones.

Et quamquã hæc ita se habeant, nihilominus ta-
men cum defensiones sint de iure nature, l. vt vim,
ff. de iust. & iur. non obstante propria confessione
offerri debent reo defensiones, & si quid opponere
voluerit aduersus eã, audiendus erit, ne iniuste vn-
quam se damnatum conuocatur: nã & contra pro-
pria confessionem possunt multa opponi, vt docet Iu-
lius Clarus in præf. crim. §. si. q. 55. & præcipue,
vers. sed pone. & q. 64. vers. si autem reus. confe-
sionem tradita per Simancas, de cath. insti. tit. 17. de
defensionibus reorum, nu. 53. & aliquot seq.

Ac defensiones iuris sunt ei concedende,
& nullatenus denegandæ. quoniam iusta defen-
sio est de iure nature, & propterea nullo modo po-
test, aut debet denegari, l. vt vim. & ibi cõmunitè
Doctores, ff. de iust. et iure. l. quotiens, c. de precib.
Impera. offerendis. clemen. pastoralis. §. ceterum, de
sentent. & re iud. tradit Joannes Imola in clemen.
sepe. de verborum significat. super glo. in verbo, de
fensiones. & Bernardus Comensis in lucerna ver-
bo, defensio. §. 2. & hoc ipsum iam prouide olim in
hac causa cauit Concilium Biterrense cap. octauo,
in hac verba: Ac datis dilationibus competentibus,
& defendendi facultate concessa, benigne
admittatis exceptiones, & replicationes legiti-
mas eorundem. hæc ibi. Offerbat hic locus amplã
occasionem agendi de defensionibus reorum in hoc
crimine: quæ res licet valde utilis esset, at quia nõ
erat omnino huius instituti, omittenda fuit: neque
eum ex proposito videtur agere hoc loco auctor de
defensionibus, quam ob re de illis tantũ agemus, quas
Emericus proponit, ceteras suis locis psequemur,

A quas ex indice operis licebit depræbendere.
c Et sic concedetur sibi aduocatus, probus, Inquisitis de
tamen de legalitate non suspectus, vir vtrius- hæresi aduo-
que iuris peritus, & fidei zelator.] His verbis cati concedẽ
breuissimis duo complectitur auctor. primum reis di, & quales.
esse dados aduocatos: alterum quales esse debeãt.
de aduocatis etiam tradit Locatus in opere iudicia-
li verbo, aduocatus. copiose Repertorium Inquisi-
torum verbo, aduocatus. & Simancas, de cathol.
institu. titu. 5. & in Enchyridio violatæ religionis
titu. 42.

Ut ergo breui cuncta huc spectantia complectar
præter has cõditiones, quas vere in aduocato postu-
lat hic Emericus, sequentes etiam concurrere oportet: vt aduocatus non sit aut hæreticus, aut de fide
suspectus, vel infamatus, Repertorium Inquisitorũ
verbo, aduocatus. §. sed vtrum hæreticus. facit tex-
tus in c. excommunicamus, 1. de hæret. §. credetes.
ibi. Si vero fuerit aduocatus, eius patrocinium nul-
latenus admittatur. ad hæc nec malo genere natus
esse debet, sed ab originarijs Christianis stirpẽ du-
cat, & generis principium.

Dãdus est autẽ aduocatus, cum reus negat obie-
cta crimina: nam si fateatur, nullo aduocato indi-
ger: idque postquam tres monitiones factæ fuerint
reus, vt libere veritatem fateatur, in his qualis ritus

C obseruari debeat, salubriter & prudenter cautũ est
Madriliana quadam instruçione anno MDLXI.
c. 23. in hæc fere verba, a nobis latina facta: Inqui-
sitor vel Inquisitores reum admonebunt, quan-
tũ sua intersit, fateri veritatẽ, quõ factõ nominabunt
ad suam defensionem aduocatum, vel ad-
uocatos a sancto officio huic rei destinatos; & in
præsentia cuiuslibet ex Inquisitoribus reus com-
municabit cum eo, & de cõsilio aduocati vel ver-
bo, vel scripto respondebit ad accusationem. Ad-
uocatus vero prius quam suscipiat defensionem
rei, iurabit se bene ac fideliter eum defensurum
& custoditurum secretum in his quæ audiet &
videbit, etiam si iurauerit eum primum assump-
tus fuit a sancto officio ad hoc munus exercen-
dum. Aduocati partes erunt admonere reum, vt
veritatem confiteatur, penitentiamque petat p
culpa, si quam habet, responsio vero fiscali noti-
ficabitur seu intimabitur. hæc est eius instruçio-
nis sententia vera quidem & prudens, ac proinde
iudicio meo vbique obseruanda. nec nostri de hac
re differentes quidquam præter hæc adducunt, quæ
alicius sint momenti. nonnulla vero huc spectan-
tia dixi supra par. 2. super cap. si aduersus. de hæ-
ret. pag. 99.

d Et procurator pari forma.] De procuratore
quantũ ad hunc locum attinet, agit Repertorium
Inquisitorum & Locatus in opere iudiciali, verbo
procurator, & Simancas de catho. insti. tit. 52. &
in enchyridio tit. 43.

Est autem procurator, qui negotia mandato Do-
mini administrat, cum Dominus vel non vult, vel
non potest negotijs suis superesse.

Ac quantum ad hoc crimen attinet, iure dubita-
tur, an procurator sit captis pro hæresi conceden-
dus, & re vera iudicio eruditorum ei denegari non
debet, & quæ de aduocato proxime diximus, ea-
dem

Quando dan-
dus aduoca-
tus in hoc cri-
mine.

Inquisitis de
hæresi an sit
concedendus
procurator.

dem etiam accipienda sunt in procuratore. ceterum raro nunc admittuntur procuratores, quia advocati sufficient. & munus procuratorum subeunt: immo verius Inquisitores videntur reorum procuratores cum officio eorum fiant reorum defensiones. quod si quandoque reo petente, Inquisitores procuratorem concesserint, probum admittere debent, non cauillosum & garrulum, vt optime admonuit Locatus in opere iudiciali verbo, procurator. nu. 2. reo autē petenti procuratorem non potest Inquisitor denegare, vt voluit Repertorium verbo, procurator. §. Inquisitores tenentur.

De procuratore in hac causa apud Inquisitores Hispania per Madrilianam instructionem ann. M.D. LXI. ca. 25. ita scriptum est: Quamuis instrumētū disponat dādos esse reis procuratores, tamē dari non debent, quia experientia docuit multa incommoda inde solere provenire: & ob modicam vtilitatem, quam rei inde consequerentur, non est in vsu, vt amplius dētur; quanquam aliquando ob magnam necessitatem solet concedi aduocato, vt reos defendat. hac ibi. In his tamen laudabiles & receptas consuetudines seruādas pu- ro, aut respiciendum quid supremus Senatus S. Romanæ generalis Inquisitionis obseruet.

Hoc tamen non omitam, quod maxime ad hanc causam videtur spectare, minoribus 25. annis delatis dandos omnino esse curatores, quorum auctoritate defendantur, ne vel ob imperitiam, vel ob inuenientem etatem aliquid taceant, vel dicant, quod si fuisset prolatum, vel nō dictum, prodesse eis posset.

De hoc curatore minoribus dando in sacro Inquisitionis officio Madriliana instructione ann. M.D. LXI. c. 25. a nobis nunc latina facta ita cautū est: Si reus fuerit minor viginti quinque annis, prius quam accusationi respondeat, sibi dabitur curator, cuius auctoritate ratificabit confessiones factas, & formabitur totus processus: sed curator nō sit ex officialibus sancti officij, & potest esse aduocatus eius, vel quilibet alia persona grauis fidelis, & bonæ conscientia. hac ibi. Si quid vero cum minoribus gestum sit absque horum curatorum auctoritate, id ipso iure irritum est, & nullū. l. clarum. C. de auctor. prestant. Corneus cōs. 198. lib. 4. Mattheus de Afflictis decisione 208. incipit. Minor adultus. Alexander cōs. 115. incipit. In causa Inquisitionis, & eleganter Antonius Gomez tomo 3. de delictis, c. 1. nu. 64. quam ob rem omnino sunt eis dandi curatores.

Vbi autem non videatur tale periculum imminere, si ipsorum nomina proderetur, &c.] Hæc quæstio cessat hodie: neque enim delatis testium nomina publicantur, vt dixi supra hac 3. p. nu. 101. & infra nu. 209. & super q. 75. est autem hic EymERICI locus de triplici potentia valde insignis, quæ ceteri qui de hereticis scripserunt post eum, secuti sūt.

Locus notandus.

Num. 118.

Quæ exceptiones opponi possint testibus in hoc etiam.

f Repellit igitur sola inimicitia, non quæcumque, sed capitalis.] Hæc peritodus & proxime præcedens, videlicet; nec putet delatus de hæresi, &c. desumptæ mihi videntur ex vetusto concilio Biterrensi & Narbonensi, olim contra hæreticos celebratis, in quorum primo, videlicet Bitterrensi c. 12. & 13. de hac re ita scriptum est.

A Quamuis in huiusmodi crimine omnes criminosi & infames, ac participes criminis ad accusationem & testimonium admittantur,

Illis tantum exceptionibus fidem testium cuantibus in totum, quæ non ex zelo iustitiae, sed de malignitatis fomite procedere videantur: vt sunt conspirationes & inimicitia capitales: alia vero crimina etsi debilitent, non repellunt, maxime vbi testes de crimine fuerint emendati. hac ibi: In Narbonensi quoque c. 24. & 25. ita.

B Quamuis in huiusmodi crimine, propter ipsius enormitatem, omnes criminosi & infames, & criminis etiam participes, ad accusationem, vel testimonium admittantur;

Illis tantum exceptionibus fidem testium toto euacantibus, quæ non ex zelo iustitiae, sed de malignitatis fomite procedere videantur, vt sunt conspirationes & inimicitia capitales: alia vero crimina etsi debilitent, non repellunt, præsertim si testes de crimine fuerint emendati. hac ibi. Insignia sunt plane loca, nec cuique obuia, & diligenter in hac causa animaduertenda.

C Vipote vel quia mors inter eos est de facto illata, &c.] Obseruanda sunt hæc exempla, ex quibus inimicitia capitalis nascitur, de quibus in l. licet. C. de recept. arbit. & in c. repellantur. & in c. cū oporteat. de accusatio. & ibi Panormitanus. textus singularis in §. inimicitia. cum glossa, in verbo, si capitales. insit. de excusatio. tuto. vbi communiter inter pretes effectus inimicitiarum capitalium recessit, vt solent, inter quos vnus & præcipuus est is, de quo Eymericus hic, & in l. testium. ff. de testibus. quoniam etiam inimicus capitalis examinaretur, non faceret indicium. Bar. in l. maritus. ff. de quest. neque ad accusandum est in notorios admittendus est inimicus capitalis, vt ait Romanus cōs. 3. 24. incipit. In proposita consultatione.

D Quomodo autem probetur inimicitia, textus est singularis, vbi late fason in l. liberi. C. de inofficio. testamento. nos vero & quomodo probetur, & ex quibus causis oriatur, copiose diximus infra super q. 67. quæ huic loco claram lucem sunt allatura.

Iam hæc eadem quæ hic docet Eymericus, refert Locatus in opere iudiciali, verbo inimicitia. ver. ad de ex Directorio. vide insup Simacā de cath. instit. tit. 64. nu. 80. & Zanchinū trac. de heret. c. 13. nu. 3. et ibi Cæpigiū. & Repertoriū Inquis. verbo inimicus; & verbo, testis et Ioānē Roia in singula. si deis, singu. 200. cetera tradidi infra super d. q. 67.

E Quare tales inimici capitales a testimonio legitime repelluntur, aliæ autem inimicitie, præsertim graues, et si non repellunt totaliter, &c.] Hic locus in tribus manuscriptis aliter legitur, in Bononiensi fol. 108. ita: Quare tales inimici capitales a testimonio legitime repelluntur totaliter, cū dictum eorum debilitent aliquantulum, vt non sit plena fides eorum attestacionibus adhibenda, sed cū alijs adminiculis, & aliorum testium dictis possunt plenam facere probationem. In Sabellano vero fol. 496. ita: Quare tales inimici capitales merito repelluntur a testimonio, &c. & licet talibus non sit plena fides adhibenda, tamen cum alijs adminiculis & dictis aliorum testium, possunt

sent plenam facere fidem. In codice Cardinalis de
Gambara fol. 662. ita: Quare tales inimici capita-
les a testimonio legitime repelluntur totaliter, a-
lias licet dictum eorum debilitet aliquantulum, vt
non sit plena fides eorū attestacionibus adhiben-
das, sed cum alijs adminiculis, & aliorum testiu
dictis potest plenam facere probationē. hęc ibi.
Ac proculdubio, vel corrupta sunt & depræuata,
vel falsa, & quæ vix sibi coherent: quam ob rem
nolumus recedere a Barcinonensi impresso, qui cæ-
teris erat emendatior.

Sententia vero huius loci omnino hæc esse vide-
tur, quæ etiam colligitur ex Concilio Biterrensi, et
Narbonensi paulo antea relatis: nam in hoc crimi-
ne propter eius enormitatem omnia testimonia re-
cipiuntur, omniumque voces & accusaciones au-
diuntur, exceptis solis capitalibus inimicis, & con-
spiratoribus: quod si alij inimici non capitales testi-
ficentur, quamuis eorum attestaciones non faciant
tantam fidem quãtam facerent, si nõ essent inimicæ
capitales; at non propterea repelluntur. & hæc sen-
tentia verissima est, quam etiam asseruerunt iam
olim periti quidam Animonenses consilio quodam
edito in materia Inquisitionis. c. 4. quod est in vetu-
sto illo codice bibliothecæ Vaticanæ, dicentes duas
solas exceptiones testibus obijci posse, quæ penitus
dicta eorum repellant, videlicet inimicitias capita-
les, & conspiraciones. quod etiam ipsum velle vide-
tur Zanchinus tract. de heret. cap. 13. nu. 3.

Aliorū vero inimicorum & criminoforum de-
bita quantum debilitentur, aut quantum sit illis de-
trahendum propter inimicitiam aliam præter capi-
talem, aut propter alia crimina, arbitrio iudicatis
relinquitur id inuestigare & iudicare, quod facile
fortassis poterit deprehendere vir prudens ex perso-
narum & negotij qualitate. l. testium. ff. de testib.
Pavormitanus in c. accedens. vt lite non contest.
& in c. cum oporteat. de accusat. Felynus in c. quo-
ties. nu. 4. de testibus. Campegius apud Zanchinum
c. 12. ver. si. de alijs vero.

In illo casu, an dicti deponentes & testifi-
cantes, &c. Hic locus varie legebatur, nec vllus ui-
debat posse colligi bonus sensus; quare Barcinon-
ensem impressum emendare oportuit ex Bononiensi
qui cæteris hoc loco erat emendatior, in quo ita le-
gebatur: In illo casu, an dicti deponentes & testi-
ficantes probentur legitime inimici capitales, &
per consequens à testificando merito repellen-
di nec ne, latis ex meritis processus potest pate-
re Inquisitori iudici in hac causa, & procedere
dicere scilicet & ipse ad sententiam sicco pede. &
hæc proculdubio est vera & clara lectio.

In Sabellano vero paulo aliter legitur, in illo ca-
su prædicti deponentes, siue testificantes proban-
tur legitime inimici capitales, & per consequens
merito repelluntur a testificando: & sic ex meri-
tis processus possunt Inquisitor & Episcopus su-
um firmare processum. hæc ibi. In his hoc est. Ex
meritis institutum: quoties obijciuntur testibus inimi-
citas capitalis, probari debet, & ex probatione ap-
paret, an testes sint repellendi nec ne, quibus intel-
ligitur facile peruenitur ad sententiam.

A Modi sex tradendi copiam processus
delato de heresi, suppressis de-
latorum nominibus.

Modus autē in talibus consuevit a die
cesanis & Inquisitorib. multiplex 119
obseruari.

Primus est: quod prædictorum
nomina, non in ipsa processus co-
pia, sed in aliqua particulari cedula conscriban-
tur: non tamē eo ordine quo deponunt, & talis
delato cedula cōferatur, sic, vt nomen testis, qui
est primus in copia, sit sextus uel septimus in ce-
dula, & qui secundus in copia, sit vltimus uel pe-
nultimus in cedula: & sic de alijs, nominū ordi-
nem transmutando; & sic delatus quis hoc depo-
nat, vel quis illud, & quis sit primus, & quis secu-
dus in sua copia cognoscere non valebit.

Iste modus non videtur multum valere, quia
non videtur delato multum prodesse, & deponē-
tibus potest multum obesse. Nam per hunc mo-
dum delatus non potest cognoscere quis est ille
qui deponit illud; nec potest cognoscere, quis est
qui deponit pro eo, & quis qui contra eum, cum
inter deponētes interdum vnus deponat pro de-
lato, alius contra delatum: quare clare nõ potest
scire cōtra quem habet agere in specie, sed ager
contra omnes illos in genere, immo contra quē
libet in specie, dando ¶ eos omnes inimicos capi-
tales, fingendo inimicitiarum colores. Et cū cō-
flet sibi per cedula antedictam, sibi oblatam,
& aliquis illorum deposuerit, talia graua contra
eū, figet intentionē suā cōtra vnū vel duos, qui
fortasse illa non deposuerunt; vel si fecerunt, cū
veritate fecerint, & conabitur eos destruere: qua-
re grande periculum imminere poterit: & sic In-
quisitor incidet in id, quod vult & debet subter-
fugere nisi ¶ toto.

Secundus modus est: nam datur delato pro-
cessus copia ad partem vnā, & deponētū no-
mina seu deferentium ad partem aliam, & ad-
miscetur cum illis alia extranea eorum, qui nū-
quā deposuerunt cōtra in illa materia; & per hūc
modum potest dicere delatus contra illū, & con-
tra istū, & non veniet in cognitionem eius qui
deposuit contra eum.

Iste modus est æque, vel magis periculosus
quam primus: nam per processus copiam, ipse
scit in tali certo numero esse deponētium nomi-
na cōtra eum, & per oblatam sibi cedula noscit,
quod plura sibi nomina presentantur, quā sint
illorum qui deposuerunt: itaque figet. mentem
suam contra aliquos illorum certos, qui fortassis
nunquam deposuerunt: vel si deposuerunt, pro
eo deposuerunt; vel si contra, deposuerunt cum
veritate, & virtute iuramenti præstiti deposue-
runt: & sic molietur contra eos insidias, & pote-
rit illis graue periculum imminere, quod volu-
mus cauere.

Tertius modus est: nam quando delatus exa-
minatur in fine suæ confessionis, antequam sibi
copia processus concedatur, interrogatur, an re-
putet

¶ Al. dicēdo.

¶ Al. in toto processu.

F F putet